

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE HIBERNVM
A DIE XVII. OCTOBR.

CIOIOCCCLXXXVI.

IN CHOANDARVM.

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

D. CAROLVS GVILELMVS
CHRISTIANVS MVELLER

C V M S E N A T V.

Septimum exemplum triumphu denegati, quod quidem in monumentis historiae Romanae inuenimus, a *Liui* X. 37. narratur. Eodem nempe anno urbis conditae CCCCLVIII, quo *Regulo* Consuli, id quod in praefatione lectionum aestiuarum commemorauimus, triumphus denegatus fuerat, consul alter *L. Postumius Megellus* triumphu honorem, quem senatus prorsus abnuebat, a populo quasi emendicare coactus est. *Postumius*, postquam nonnulla oppida a *Sannitibus* deserta facillime occupauerat, atque in ea *Sannitum* regione, in quam cum copiis ipsi demandatis a senatu missus erat, nulla belli materia superfuera, in *Etruriam* subinde a Romanis deficientem exercitum traduxit. Praeter ingentem agrorum hostilium deuastationem, res a *Postumio* in *Etruria* gestae fuerunt, haec, primo proelium prope *Volsinos* commisit, in quo quidem duo millia & ducenti *Etruscorum* caesi, bellum autem non ita profligatum est, ut oppidum ipsam expugnari potuerit, secundo urbem *Rusellam* obsidione cepit, e qua amplius duo millia hostium in captiuitatem abducta sunt, minus duo millibus in oppugnatione urbis circa muros caesis. Quibus tam prosperis Romanorum successibus tantus *Hetruscis* pauor iniectus est, ut tres validissimae eorum urbes pacem per oratores a Romanis peterent. Vestimentorum & frumenti magna copia in usum exercitus Romani suppeditata, ac ingenti multa aerario Romano soluta inducias in quadraginta annos impetrauerunt. Etsi igitur Romani ex hoc cum *Hetruscis* bello superiores discessissent, atque respublica Romana victoriis illis *Postumii* locupletior facta esset, *Liuius* tamen ipse fatetur, pacem clariorem & maiorem partam esse, quam bellum in *Etruria* eo anno fuerat. In *una* ista pugna non quinque millia (qui quidem numerus ad triumphum obtinendum requirebatur) sed tantummodo duo millia & ducenti hostium ceciderant, idque sine omni effectu, quum reliqui in urbem confugientes tuti fuissent. *Vnus* oppidi iactura non omnibus *Hetruscis* totius prouinciae deditiorem, sed tribus solum eorum urbibus pacis restorationem suasisit, cum quibus a Romanis non pax absoluta & sempiterna, non amicitiae foedus initum, sed *induciae* tantum diuturnae factae sunt. (Inducias multorum annorum apud Romanos,

pariter, ac olim apud Turcas, non nisi belli ad tempus opportunius, dilationem fuisse, plura exempla docent, sic post inducias virino Romuli anno *Veientibus in centum* annos datas, bellum cum iisdem vix quadraginta quatuor annis finitis redintegratum est.) Neutiquam igitur a *Postumio* debellatum, neutiquam ius triumphum postulandi manifestum parum fuerat. Quid, quod, *Liuius* in fine capituli annotante, princeps quidam annalium autor fuit, qui *Postumium* fufum, fugatum, & vulneratum esse contendit: Attamen *Postumius* ad honorem illum aspirans, eumque sibi deberi ratus, pro more quidem recepto *senatum*, ut triumphum decerneret, & de eo ad *populum* ferret, rogavit, at animo praesentens, maximam senatus partem ipsi repugnaturam, in speciem, & ad vitandam reprehensionem prius viam legitimam experiri, quam statim arroganter atque temerarie agere maluit. Reapse senatorum alii preces eius ideo aspernati sunt, quia iusto tardius ex vrbe cum exercitu profectus tempus belli gerendi idoneum perdidisset; alii tunc *Liuius* X. 32. valetudo aduersa cum Romae tenerat, alii eum vituperabant, quoniam bello cum *Sannitibus* confecto cum exercitu *inuisu* *senatus* gloriae cupiditate incitatus in *Esruriam* transierat. Non soli autem inimici eius in senatu ipsi aduersabantur, sed etiam *Reguli* fautores illis accedebant, qui nempe collegam solatio acquatae repulsae afficere cupiebant. *Postumius*, quum de senatusconsulto favorabili desperaret, finem consultationi fecit, e senatu se proripiens, atque haec superba satis verba iactans: "Non ita, patres conscripti, vestrae maiestatis meminero, ut me *consulem* esse obliuiscar, eodem iure *imperii*, quo bella gesta, bellis feliciter gestis, *Sannio* atque *Esruria* subactis, *victoria* & *pace* pacta triumphabo." Propria igitur auctoritate, vi consularis & imperatoriae potestatis triumphare inaudito apud Romanos exemplo minabatur. Tribunorum plebis, qui secundum morem solitam in senatu aderant, fuit, intercessione sua impedire, quo minus a *Postumio* contra leges ageretur; at ipsi inter se adeo dissenserunt, ut septem eorum *Postumii* consilia improbarent, tres auxilio se ipsi futuros vociferarentur. Vel unum ex collegio tribunorum consiliis reliquorum intercessione sua obistere potuisse, historicorum testimonio satis constat. Tribuni ideo ad *populum*, ut litem istam suffragiis suis dirimeret, iulerunt, comitiisque tribunitiis conuocatis consul iam exuere superbiam, atque atque *populi* gratiam statuit. Quare ad *populum* vocatus, se quoque rem ad *populum* laturum fuisse finxit, nisi quosdam tribunorum, tanquam *nobilium* mancipia, impedituros legem seuidisset, voluntatem & fauorem consentientis *populi* sibi pro omnibus iussis esse, asseueravit, denique exempla laudauit *Horatii* & *Valerii* consulum, & *Ruzili* dictatoris, (a nobis etiam in praefatione lectionum hibernarum 1795 allata) qui spreta *senatus* auctoritate solius *populi* iussu triumphare ausi erant. Quibus quidem blandimentis *Postumus* honorem exoptatum a populo contra consensum senatus, & septem tribunorum obtinuit, atque (quae *Liuii* verba sunt) *celebrante populo diem* (id est, summo studio & maxima frequentia *populi* pompam triumphum ornante) triumphauit. — Iam, quod Vos attinet, *Commilitones aelsumarissimi*, ut praefationes, quas haec Vobis pollicetur tabula, *concelebretris*, id est, affluente Vestrum numero, alacritate, attentione, discendique cupiditate prosequamini, grauissime Vos omnes admonemus atque cohortamur.



LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD hora VIII. matutina Doederleinianas theologiae dogmaticae institutiones, senis per hebdomadam diebus, praeleget. Hora II. pomeridiana tres priores evangelistas e synopsi Griesbachiana, quaternis per hebdomadam diebus, interpretabitur, ad scholas quoque catechetico-practicas paratus. Neque iis deerit, qui verum vtriusque foederis doctorum classicorum, doctrinae Christianae veritati inservientium, sibi familiarem reddere sensum desiderant.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. VIII - IX historiae Christianorum ecclesiasticae partem antiquiorem ex *Walchio* enarrabit. Hor. IX - X epistolam ad *Ebraeos* interpretabitur. Hor. X - XI *examinatorium dogmaticum* instituet.

CAR. CHRISTIAN. PALMER quinque dieb. h. X. theologiam dogmaticam, duce Moro, h. XI. quat. dieb. theologiam moralem, binis dieb. h. IX. encyclopaediam theologicam, h. X. introductionem in libros V. & N. tradet, h. XI. exercitationes, in quibus dogmata religionis christianae examinando reperuntur, instituet.

LECTIONES IVRIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Pandectas ex HELLFELDIO, ius Canonicum e BOEHMERO, ius Criminale e compendio suo horis consuevis tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS Ius publicum I. R. G. PÜTTERO, Ius Germanicum priuatum SELCHOVIO duce docebit. Collegium elaboratorio-practicum denuo aperiet, & ad alia paratus erit.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora II-III. ius feudale duce BOEHMERO, hora III-IV. historiam imperii R. G. praecunte PÜTTERO, tradet; paratus quoque ad praelectiones in processum summorum imp. tribunalium.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER. Hora VIII-IX. praelectiones ad HEINECCIUM elementa iuris civilis secundum ordinem institutionum habebit. Hora X-XI. historiam iuris duce SELCHOVIO docebit.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ. H. IX-X Physiologiam duce Metzgero explicabit; H. X-XI Examinatorium Anatomico Physiologicum offert.

D. CAROLVS GVILELMVS CHRISTIANVS MVLLER priuatim h. X-XI materiam medicam & h. XI-XII Therapiam specialem tradet. Priuatissime Mineralogiam & historiam naturalem offert.

D. ERNESTVS SCHWABE docebit Artem obstetriciam, Hor. VIII-IX. & Medicinam forensam, Hor. IX-X.

D. IO. FRIED. SIEGESM. POSEWITZ, P. P. O. per instans semestre spatium, Chirurgiam, duce Metzgero, atque, secundum Roedererum vel Steinium, artem obstetriciam proponet, corpusque humanum, cultello anatomico subiectum, demonstrabit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Primar. Hora II-III Antiquitates Romanas duce Rullmanno enarrabit; Hora III-IV nonnullos libros e Taciti Annalibus illustrabit; Hora IV-V Encyclopaediam scientiarum omnium vniuersalem e libro suo *Abriss der Gelehrsamkeit* tradet; Hora V-VI elementa artis poeticae praecunte Eschenburgio docebit; ad alia quoque paratissimus. — Bibliothecam publicam diebus Mercurii atque Saturni Hora II-III aperiet.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. hor. X. Historiam ecclesiasticam N. T. ad ductum Cl. Schroeckii hor. XI. Historiam vniuersalem, hor. II. Historiam Statuum Europae ad Compendia a se edita docebit.

GVILIELMVS FRIDERICVS HEZEL, offert Hor. X institutiones linguae Hebraeae, duce libello suo: *Kürzere Hebr. Grammatik*, subadditurus exercitationes analyticas. Hor. XI Psalmorum interpretationem continuabit. Hor. VI vesp. docebit fundamenta linguae Arabicae, aut si malint auditores, vel Chaldaicae & Syriacae, vel Graecae.

D. AVG. FRIED. GVIL. CROME, *Oecon. & scient. Cameral. P. P. O.* I) Hora X-XI. *Oeconomiam politicam*, (*Finanz-Wissenschaft*) II) Hora II-III. *Politicam*, vt vocant, seu *scientiam ciuitatis instituendae & administrandae*, ad filum suum, exponet. III) Hora IV-V. *Statisticam*, vt dicunt, *omnium Europae regnorum*, narrabit, *Sprengelii* compendium sequuturus. IV) *Publice*, hora Auditoribus comoda, *viciissitudines & mutationes Geographiae recentissimae*, explicabit. Ad alia quoque paratus.

IO. FRIDER. ROOS, *Philos. D. & P. P. O.* *Historiam Europae recentiore* h. I-II; *Historiam catholicam antiquiore* h. III-IV, illic *Galletto* hic *Beckio* duce, exponet. *Graecarum literarum studiosis super Euripidis Phocissis atque Hippolyto* lectiones offert; *Anglicae etiam linguae* institutionem haud grauatim exhibiturus.

GEORG. FRID. WERNER, *scient. milit. P. P. O.* *fortificationem campestem*, aut alia in rem militarem spectantia, tradet. Ad collegium in *rem censualem (das Steuerwesen)* quoque paratus.

FRID. LVDOV. WALTHER, *P. P. O.* *Oeconomiam forestalem* Hor. IX-X. *Oeconomiam mercatoriam* Hor. XI-XII. docebit.

GEORG. GOTTLIEB SCHMIDT, *P. M. P. O.* *Praelectiones mathematicas* ex compendio suo. (*Anfangsgründe der reinen und angewandten Mathematik b. Varrentrapp und Werner Frankf. 1796.*) priuatim habebit. *Physicam experimentalem (nach Erxleben)* docebit.

I. C. G. SCHAYMANN *hor. IX-XII* *Metaphysica cum Logicis, Ius Naturae*, denique *Philosophiam vniuersam* methodo encyclopaedica ad libros suos tradet.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

FRIDER. GVIL. DAN. SNELL, *Philos. Prof. P. E. O.* Hor. XI-XII *Analytin finitorum*, hor. III-IV *principia philosophiae criticae*, hor. V-VI *logicam & metaphysicam* proponet. Ad alias praelectiones philosophicas & mathematicas paratus est.

IO. GEORG. FRIDER. LEVN, *Ph. D. & P. P. E. O.* Hor. X. in *explicatione Psalmorum & in tradendis elementis linguae hebraeae* perget; Hora III. *actus apostolorum e graeco fonte* interpretabitur.

IO. ERNEST. CHRISTIAN. SCHMIDT, *historiam ecclesiasticam antiquiore*, librum b. *Walchii* secuturus, enarrabit. Ad alias praelectiones historicas & philologicas paratus est.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luclenta equitandi, pugnandi gladio, saltandique palaestra, Anglicae, Gallicae & Italicae linguae* scholis, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.
